



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 26. Inaugurationis suæ Solennitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

venia Romæ regnante hoc Papa sperari haud poterat; insuper etsi Sixtus V. Bacchanaliorum tempore honestos lusus fieri permetteret, simul tamen patibula erigi iussit, ut petulantes, ac licentiosæ vitæ homines punirentur; severus enim vitiorum hostis, ac insignis virtutum protector erat, aliunde iudicii sagacitate, magnificentia, literarum amore clarus, ac semper potiorem noctem studiis consecrare assuetus, postquam in audiendis suorum subditorum postulatis integram diem impenderat: ad hæc non sine animi sui voluptate alternantem fortunæ vicissitudinem, seu potius providi Numinis dispositionem contemplantur, ob oculos sibi continuo ponens, quod ex miseriarum abyfso ad primos, qui in Ecclesia sunt, dignitatis honores elevatus fuerit.

§. XXVI.

Inaugurationis suæ solemnitas.

Ad Pontificatus sui initium die primæ mensis Maji solenni ritu inaugurabatur, in qua occasione quivis suam lætitiâ ob tam prosperam hujus viri electionem festivo applausu efferebat, præcipue vero eminebant Religiosi in Conventu sanctorum duodecim Apostolorum, qui summa magnificentia hanc solemnitatem celebrabant: priusquam

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

Thu. 1. 82.
Ciac. tom. 4.

Sæcul. XVI
A.C. 1585.

quam vero hæc inauguratio fieret, novus Papa Romanæ Urbis Governatorem, omnesque capitalis fori Judices accerserat, eis injungens, ut æquitati totis viribus studerent, ubi illos tam se-vera oratione alloquebatur, ut ejus verba potius comminantis, quam hortantis esse viderentur: summa autem benevolentia Principum, Procerumque Romanorum Oratores excipiebat, quamvis illos sermone prolixo minime detineret, causatus, quod gravioribus negotiis, quam verbosis ejusmodi gratulationibus primos Pontificatus sui dies sacrare cogeret.

§. XXVII.

*Japonum Legati honorifice excepti,
ac Romæ profecti.*

*Labe tom. 1.
lib. 5.
Sachini hist.
Soc. p. 5. 1. 5.
pag. 229.*

Nihilominus Japoniæ Legatos singulari dignabatur benevolentia, eosque perhonorifice excipiens cum illis non sine luculentis paterni affectus, ac familiaritatis testificationibus conferebat, indulgens etiam, ut ipsi in suæ coronationis die Umbellam deferrent, ac Pontifici rem divinam peragenti, manusque lavanti aquam affunderent: insuper præcepit, ut hi sequenti Dominica ipsum, cum ad capeffendam Ecclesiæ Lateranensis possessionem pergeret, comitarentur, ac cum ceteris Proceribus